

porta ad beatam Virginem, & porta Minoritana, olim punitoria, das Stráffinger Thor dicta. O. Optime supplevisti oblita, quod gratissima agnosco mente.

Colloquium VIII^{vum}.

De ædificiis Augustæ publicis.

PAULUS et QUIRINUS.

P. Quibus eminent urbs nostra ædificiis publicis? *Q.* Præ omnibus ædificiis celebrari meretur curia, mirifico exstructa artificio, cum vicina turri Perlacensi. *P.* Quando fuit ædificata? *Q.* Destructa priori, Architectus novæ curiæ structuram inchoavit anno millesimo sexcentesimo decimo quinto, & vigesimo post opus hoc egregium absolvit. *P.* Quis fuit Architectus? *Q.* Civis Augustanus, nomine Elias Hollius. *P.* Nihilne memoriæ proditum est de hoc splendido opere? *Q.* Utique; nam Senatus cudi fecit